394

Template

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/vitabphilippiben00gran

VITA
B. PHILIPPI BENICII FLOREN. ORD. SERVORV̄ B. MARIAE VIRGINIS

opera ac studio
R. P. Magistri Damiani Granæ
Veronensis
in ære incisa
Ad alendam pietatem uniuersi sui ordinis.

CIↃ IↃ XCI.

Romæ.

BCB

VITA
B. PHILIPPI BENICII FLORENT. ORD. SERVOR. B. MARIAE VIRGINIS

Ad Julium Antonium Sanctorium
S Seuerinæ nuncupatum
S R E Card. Ampliss.
et eiusdem ordinis
Protectorem

Ant. Temp. Incid. Romæ.
CIↃ IↃ XCI.

Superiorum Permissu.

MO MO

ILLVST. ET REVER. D.D. IVLIO ANTONIO SANCTORIO

S. Seuerinæ nuncupato S.R.E. Card. Ampliß. & Ord. Seruorum Protectori felicitatem.

AXIMAM ab his viris, quos familia noſtra aluit pietate inſignes haurire ſoleo animi voluptatem, Sanctori Card. Ampliſs. Nam cùm ad eam ætatẽ venerim, in qua quaſi à calcibus ad metam curſum exegi, nulla re magis quàm exemplis animũ oblecto. Hæc dum prę manibus habeo, affertur hiſtoria B. Philippi Benicij Ord. noſtri, à Iulio Roſcio Hortino veteri amico tẽporibus ſuis ita diſtincta, vt eius ingenium admirarer, amaremq. beneuolentiã erga me ſingularẽ Eam euoluẽs putaui me rem gratã facturum congregationi noſtræ vniuerſæ, ſi ad alendam pietatem in lucem ede

rem. Itaque curari in aere incidi imagines ſingulas, dediq. operam, vt quam primũ imprimeretur. Cui verò id (quidquid eſt) offerrem niſi amplitudini tuæ Sanctori Card. Ampliſs. ſub cuius prouidentia ac patrocinio tùm familia noſtra vniuerſa, tùm ego ſingulari quadã humanitate erga me tua tam diu viuo? Tibi igitur veluti optimo optimeq. merito protectori dono dicoq. rem tuam. Tu interim nos cliẽtes tuos in obſeruantia regulæ, in obedientia, ac veteri diſciplina ita tueri pergas, vt apud omnipotentem Deum & tua Amplitudo & nos ipſi B. Philippũ patronum in cœlis propitium habeamus. Deus Opt. Max. Amplitudinem tuã & nobis & eccleſiæ ſuæ quàm diutiſsime ſeruet incolumem Romæ ex cœnobio S. Mariæ in Via Kal. Aprilis M. D. LXXXXI.

Amplitudinis Tuæ

Seruus omni iure addictus

F. Damianus Grana.

EX chronicis ac monumentis Annunciatæ in dialogo M. Pauli Bibliothecæ Mediceæ, annalibus F. Iacobi Landrofili Ferrarien. non scriptis Io. Antonij Flor. Raffaelis Maffæi Veneti & m Philippi Alberici Mantuani in historia de suæ religionis exordio ad Antonium de Monte S.R.E.Card. Papiensem Ord. Seruorum illis temporibus protectorem.

De exordio religionis ord. Seruorum ex Bibl. Flor. membranis ab anno CIↃ CC XXXIIJ. vsq; ad CIↃ CCLXVIJ. ex monumentis Ann. ex chronica Seruorum ab ann. CIↃ CCXXXIIJ. vsque ad CIↃ CC liij. Bulla vero Innocentij VIII. quæ longissima est & Alexandri IV. Benedicti XI. Clem. VI. Vrbani VI. Bonif. VIII. Io. XXIII. & Martini V. literas complexa est datur die xxiv. Augusti CIↃ CCCC XXCVIJ. Pontificatus sui III. & habetur in cœnobio Ann. & refertur, in mari magno Ord. Breue Leonis X. Florentiam Roma transmissum est.

De diuina vocatione B. Philippi ex chronica Seruorum an. CIↃ CC liij.

De habitu suscepto ibidem.

De vita Eremitica, quam duxit in Senario monte ex ea. CIↃ CC liv.

De admirabili eius in rebus diuinis doctrina ex ea. CIↃ CCLVIJ.

Sacris initiatur ex ea. CIↃ CC lvij. CIↃ CC lix.

Sodalitium de decantandas laudes B. Virginis promouet ex ea. CIↃ CC lxiij.

Fratribus annona laborantibus præsto est ex ea. CIↃ CCLXVIJ. CIↃ CC lxxj.

Lepra infectum mundat ex ea. CIↃ CC lxviij.

Balnea à suo nomine nuncupata diuinitus excitat ex ea. CIↃ CC lxix.

Concionatur ad pop. Pistoriensem ex ea. CIↃ CC lxxvj. CIↃ CC lxxvij. CIↃ CC lxxviij.

Vguccionij & Sostenij animas cœlum intrantes videt ex ea. CIↃ CC xxcij. & ex monumentis Annunciatæ.

Proficiscitur Tudertum ex ea. CIↃ CC xxcv.

B. Philippi obitus ex ea. CIↃ CC xxcv. & scribis pluribus Tudertinis fide digniss. qui plurima post eiusdem obitum miracula annotarunt.

De fabricatione templi S. Mariæ in Via nuncupati Romæ in membranis eiusdem Ecclesiæ.

DE EXORDIO AC PROGRESSV Ord. Seruorum B. Mariæ Virginis.

CIrca annum Christianæ salutis CIↃ CCXXXIIJ. exordia Seruorum familię ducimus; quo tempore Gregorius IX. post Honorium III. Pont. creatus spem ostendit in illa Federici Imp. feritate, libertatis, ac pacis Italiæ vniuersæ. Tunc Florentini maxime in Ethruria dicuntur Pontificis partes sustinuisse. Ante hæc tempora Congregationem quidem aliquam fuisse, non dum tamen Ordinem ipsum facile crediderim; atque ita interpretor verba illa, quæ in eo marmore Floren. habentur.

S. SOCIETATIS LAVDENSIVM
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS QVI
CONGREGANTVR IN ECCLE.
S. REPARATÆ ANNO D. MCCCX.

Eo enim tempore sodalitium erat. An vero id antiquius fuerit nunc non quæro; de instituto Ord. tantùm sermo est. Inde septem, ijdemque Viri honesti, ac diuites Ord. Seruorum fundamenta iecerunt; Bonfilius, Amodeus, Bonaiuncta, Manettus ex Antellarum familia, Alexius Falconerius, Sostenius, Vguccionius. Hos singulos Deipara Virgo in insomnio distincte monuisse dicitur, vt sibi nomen darent. Veniunt omnes ex suis sedibus eadem hora in templum: orant; recognitaque visione eadem à singulis, non mediocrem fidem addebat insolitus omnium ad eum locum concursus. Inde digressi precibus

ac

ac ieiunijs probare rem melius ſtatuunt, cum Beatiſſima Virgo, iterum & ſe ipſam illis & habitum oſtendit. Adſum inquit illa Dei Mater & veſtris petita precibus, vos mihi in ſeruos elegi. Huiuſmodi dictis commoniti, eadem ſinguli vna repetentes de habitu aſſumendo ſtatuerunt. Hac ipſa de re Epiſcopo facto certiore, impetrataque licentia, diuenditis quæ terrena poſſidebant, ac pauperibus ex ijs ditatis, vnam duntaxat domũ prope S. Crucis templum communem ſibi reſeruarunt. Bonfilius peroraſſe fertur copioſe de neglectu rerum humanarum: hunc ceteris ſeniorem voluerunt ſibi præeſſe. Eius familiæ felicissimum exordium cum ipſi infantes ſupra ætatem commendaſſe dicerentur non longè poſt remotum ab Vrbe locum ſeligendum putant. Decretum igitur eſt ab illis in Sacrum Senarium montem aſcendere viij. ab Vrbe Florentini lapide in cuius vertice planicies pulcherrima ſeſe aperiret. Montem ſilua arboribus ſepta circuit. Ad collis latera antra, & ſpecus ſunt, fontesque vberrimi, quibus in ea ſolitudine recrearentur. Huc proficiſcuntur illi Ord. Seruorum inſtitutores. Hic aduecto lap. domicilium ſuis manibus erigunt. Summa erat primorum charitas, nulla hominum ambitio, ardens in diuinorum contemplatione ſtudium, in victu abſtinentia ſingularis, in ſtrato ſe ueritas, in veſtitu negligentia, in conſuetudine exemplũ. Quid in hoc humano ergaſtulo ſanctius? in hac tranquillitate pauperes eo genere ciborum vtebantur, quos tellus inculta dediſſet. Nullæ in menſa deliciæ, omnia communia, vna omnium vita, vt non tam domus vna, quàm vnus & idem animorum conſenſus videretur. Sequebantur maxime D. Auguſtini regulam, quam ſibi imitandam propoſuerant. In qua ſeueriori diſciplina poſtquam diu fuerant verſati Bonfilius conſiderans eorũ in mandatorum obſeruatione conſtantiam, aliquot ex ſuis ad Vrbem tranſmittere ſtatuit. Itaque prioribus ædibus in quas primum, conuenerunt diuenditis prope portam S. Galli nuncupatam in loco Ciuitati viciniori Oratorium cellulis diſtinctum erexerunt. Hic cum eſſet exprimenda Annunciatæ hiſtoria, Virginis ipſius ac nuncij ſumma capita pictor non penniciillo ac coloribus; ſed diuinitus abſoluta reperit. Eius facti fama per Vrbem peruagata inſtituuntur pub. ſupplicationes; aguntur gratiæ Deo Optimo Maximo: Viri, fœminæque omnis ætatis ac ſtatus aduolant ſupplices. Aegri ſanitatem, cœci vim videndi, muti vocem, claudi greſſum, omnes denique &

omnis

omnis morbi salutem referunt. Nec minus ex oppidis venerunt plurimi. Huius templi consecrationis memoria extat longe post consignata in marmore hunc in modum

QVOD SCIANT POSTERI OMNES CVM FLOR. AGERET LEO. X. PONT. MAX. ANTONIVS DE MONTE T.T. S. PR. CARD. ECCLESIAM HANC ET MAIOREM EIVS ARAM INDICTA QVOTANNIS PLENARIA ACCEDENTIBVS INDVLGENTIA E MANDATO SANCTISS. D. P.P. VIVAE VOCIS ORACVLO SIBI FACTO SOLEMNITER ET RITE CONSECRAVIT DIE XVII. IANVARII CHRISTI SALVTIS ANNO M. D. XVI.

Sed vt ad historiam reuertar) Bonfilius illis temporibus sic est patres allocutus. Hucusque nostra seiuncti ab humanis curis egimus; vix tamen licuit studium nostrum ab hominum frequentia in eo loco siluestri subtrahere, cùm toti pene Vrbi noti facti sumus. Sic diuina fert prouidentia. Sacellum igitur Beatæ Virgini dicemus, vt sodalitium nostrum sub eius vmbra incrementa tantis digna exordijs suscipiat. Hactenus nobis tantum viximus. Diuino Imperio cogitata secus euentus suscipiunt. Et vero etiam proximo consulendum est, egrediundum in aciem, in puluerem; cedendum diuinæ voluntati, parendum patronæ nostræ: nulla nos ambitio mouet; sed vnus religionis Christianæ propagandæ amor. Indicitur triduanum ieiunium, vt ea de re solidus statuant. Interea Episcopus eo sacrum facturus accessit; qui clam eis vocatis id ipsum persuasit; vt ordinem B. Virginis longe lateque protenderent. Agebatur tunc annus à Christo nato CIↃ CCXXXIV. suscipiuntur igitur alij in eum Ordinem. Breui factum est veluti ex paruo semine terris obruto segetem copiosam sagax natura producit, sic sane ex tenui primordio maxima Ordo ille augmenta susciperet: id quod vitis in senario monte propagatio præmonstrauerat. Mittuntur Alexius ac Victor ad Episcopum Senas: concione habita populi, & earum explorato desiderio tribuitur his locus in Vrbis parte eminentiori; vbi paucis diebus tantum est ædificium

ficium constructum, quantum eius loci angustiæ patiebantur. Qua de re certior factus Bonfilius sex alios mittit, vt diuina exercere, ac composite viuere possint. Hic alij & quidem probati adleguntur. Aucto sic fratrum numero spes maxima de successibus accepta est. Hinc fuerunt viri illi clari Iacobus, Franciscus ac Ioachimus. Hinc Aretium Ethruriæ ciuitatem per legatos vocantur, vbi fundamentis domus, temploque erecto exemplo pluribus profuerunt. Non multo post ad vicinas Vrbes quasi ad languentes animos medici educuntur. Pistorium veniunt, vnde Bonauentura, tum ad S.Sepulchri, vbi plerique indigenæ iuuenes in eundem Ordinem connumerati sunt, inter quos fuit Andreas ille. Deinde in Vrbem veterem, vnde Thomas extitit. Tuderti vero B. Philippi corpus veneratione habetur. Viterbum rogati veniunt, vbi Antonius Mox Forum Liuium, vnde habemus Peregrinum. Atque hi omnes quos adnumeraui sanctitate insignes celebrantur. Relinquo alias Vrbes, longum esset persequi singulas; ac nobilissimum huius sanctiss. congregationis progressum explicare. cæperunt postmodum publice concionari populo Anno CIↃ CCXXXIX. cum Bonfilius prospiceret Ord. sui incrementa, arbitratus est decernendum etiam de Magistratu eligendo, ac legibus cuiusque ob id coacto Patrum conuentu Florentiæ statuta quædam scriptis mandata sunt. Decretum est in primis de vestium genere, de diuinis Officijs Rom. ritu celebrandis, de specialibus laudibus Virgini decantandis, de ieiunijs ac Prioris nuncupati munere ac potestate. Hæc dum Florentiæ aguntur Gregorio IX. ab humanis euocato creatur Cælestinus IV. qui cum nascentem ordinem Seruorum adamasset, spes erat vt eundem promoueret auctus dignitate maxima. Verùm dum tractes ad eum contendunt, ante de eius obitu nunciatur, quam Romam accederent. Vix enim ille diem XVIIJ. attigerat in Pontificatu. Post quem Innocentius IV. renunciatus anno CIↃ CC XLIV. Petrum familiæ Dominicanæ virum, veronensem, qui ob fidei defensionem postea martyrij palmam adeptus est transmisit ad hæreticos cohercendos. Is cum Florentiam venisset a Bonfilio de instituto, vita, fratrum numero, & plerisque ad religionem spectantibus sciscitatus laudauit, præsertim omnibus sibi ab loci eius Episcopo comprobatis. Huc accedit quod ea quæ secuta est nocte dicitur Petro apparuisse

Vir-

Virgo ipsa eo habitu quo Fratres vterentur, quos sub vlnis suis complecteretur. Quod ille publice ac sæpius professus est; hortatusque Florentinos vt eam nascentem religionem fouerent, ac veluti Virginis Seruos agnoscerent. Annus erat CIↃ CC liv. cum Philippus Florentinus ex Beniciorum familia nobili in eundem ord. adscriptus est. Cuius quidem vitam cũ distincte describere instituerim (breuius tamen quam tanti Viri res gestæ patiantur) hic finem faciemus. Vt vero quæ prædiximus de exordio ac progressu huius sanctiss. ord. fidē habeant pleniorem placuit addere aliquot ipsius Innocētij verba quæ ex eius diplomate excerpsimus. INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriã. Apostolicæ sedis intuitus, & sinceræ deuotionis affectus, quem ad Beatissimam semper Virginem glorioſam Dei Genitricem omnium gratiarum ac virtutum mentis ornatam gerimus, equidem mentem nostram super gregem dominicum nobis licet immeritis diuina dispensatione commissum excitant & inducunt, vt cultores vineæ Domini Sabaoth Apostolicis gratijs specialius prosequamur, qui sub præcipuo eiusdem gloriosæ Virginis Mariæ titulo militantes diuino cultu intendunt, ac piæ vitæ studio vacant. Et quoniam professores fratrum Seruorum Beatæ Mariæ Ordinis sub regula S. Augustini à primęua Ord. sui constitutione Domino disponente & quasi diuinitus ex ore infantium Serui Mariæ sunt vocati ob eius quidem reuerentiam hunc deuotum titulum semper coluerunt. Ac etiam ob memoriam passionis eiusdem in morte, quam filij sui Domini Nostri Iesu Christi sustinuit, nigrum & mæstitiæ quippe habitum eligentes sibi deputaret. Sub quibus profecto & seruitutis titulo & mœroris habitu sacer Ordo præfatus sic à suis primotdijs plantatus in agro dominico laudum incrementis diuina cooperante clementia successiue profecit in Ecclesia Dei, & inter alia plantaria dominica puritate conuersationis, exercitio Euangelicæ prædicationis, dono scientiæ, virtutum nitore, & Vitæ sanctitate dignoscitur specialiter insignitus, propter quæ ipsos in agro prædicto cultores idoneos non immerito reputamus messem ex cultu huiusmodi offerentes gratissimam Creatori. Alia sunt in eiusdem Ord. laudem; Sed nobis has pontificias satis sit attulisse. Restat vt solum addamus diploma Leonis X. quod est de B. Philippo, vt inde ad res eius præclare gestas transeamus.

LEO X.

DIlecti filijs Priori Generalis & fratribus Ord. D. Mariæ Seruorum sub regula S. Augustini. Expositit nobis nuper dilectus filius noster Antonius tituli sanctæ Praxedis presbiter Cardinalis Ordinis vestri protector ex parte vestra quod tempore quo institutus fuit ordo vester fratrum Beatæ Mariæ Seruorum sub regula S. Augustini Beatus Philippus patria Florentinus ex gente Benicia trans Arnum tunc Prior generalis eiusdem Ordinis velut gemma rutilans doctrina, humilitate, moribus, ieiunijs, abstinentia, plurimisq; miraculis Ordinem ipsum illustrauit tam eo in humanis agente quam etiam vita functo ob plurima miracula, quæ (vt creditur) intercessione ipsius beati Philippi pluribus in locis operatus est Altissimus, & præsertim Tuderti, vbi eius corpus summa cũ veneratione quiescit, & sicut beatus habitus est, & ad præsens habetur, & colitur. Et propterea pro deuotionis affecta summopere desideratus, instanteq; efflagitatis in vestris ecclesijs & Oratorijs vtriusq; sexus dictum Philippum pro Beato ac Deo dilecto orationibus & officijs ac Missarum celebrationibus tam publice quam priuate venerari ac preces effundere, vt apud Deum pro vobis intercedere dignetur. ac etiam quod in die obitus dicti beati Philippi liceat vobis à primis vesperis vsque ad secundas vesperas inclusiue per omnes Ecclesias & monasteria, siu domos Fratrum & Monialium dicti Ordinis vestri ipsi beato Philippo festum duplex cum campanis & luminibus & alijs cerimonijs in festo duplici fieri solitis celebrare, seu celebrari facere posse absque superstitione, seu quasi idolatriæ nota. Quare idem Cardinalis qui, vt præfertur Ordinis vestri Protector existit & de præmissis ex mandato nostro ad plenum se informauit & nobis retulit ac humiliter supplicauit, vt vestro pio desiderio annuere dignaremur. Nos itaque eiusdem Antonij Cardinalis, & vestris in hac parte supplicationibus inclinati vobis vt (donec ad canonizationem ipsius Philippi deuentum fuerit, cui ad præsens diuersis arduis negocijs prapediti vacare non possumus) in quibuscunque ecclesijs, domibus, monasterijs, oratorijs vtriusque sexus totius Ordinis vestri tantum, tam in Italia quam extra in quibuscunque locis consistentibus liceat vobis absque aliqua superstitionis, vel quasi idolatriæ nota, ac conscientiæ scrupulo venerari, & in ecclesijs domorum ad eundem Philippum vt pro vobis apud Deum intercessor existat in orationibus & officijs, ac Missarum solemnijs preces tam publice

quam priuate, seu secrete fundere. vosq; ipsius orationibus commendare: ac etiam quod à primis vesperis vsque ad secundas vesperas inclusiue diei ipsius Philippi obitus, qui erit dies vigesimus tertius mensis Augusti sub duplici festo confessoris cum candelis, campanis, antiphonis, versiculis, orationibus, ceterisq; ceremonijs in festo duplici fieri solitis adhibitis celebrare possitis & valeatis auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali dono gratia concedimus & indulgemus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis præsentium felicis recordationis Alexandri III. Innocentij III. prædecessorum nostrorum ceterisq; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. & quoniam difficile foret præsentes literas ad diuersas mundi partes transmittere, volumus & earundem præsentium tenore decernimus quod illarum transumptis manu publici notarij subscriptis & sigillo protectoris dicti Ordinis aut Prioris generalis eiusdem munitis ea prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Volumus autem quod per præmissa præfatus Philippus in catalogo sanctorum adnumeratus & canonizatus publice minime censeatur. Datum Florentiæ sub annulo Piscatoris die xxiiij. Ianuarij M. D. XVI. Pontificatus nostri anno tertio.

Ia. Sadoletus.

F. DAMIANO GRANÆ Veroneñ. in ſacra Theologia profeſſori eruditiſs.

IVLIVS ROSCIVS HORTINVS.

NON multum cognitio & ſcientia commodi affert(vt ſæpe mones Damiane religioſiſs.)niſi eodem pietas & recta viuẽdi diſciplina accedat. Ea. n. demum vera Sapientia eſt, in qua nec cum oratione vita, nec cum actionibus ipſa diſciplina pugnat. Ac tametſi non ſolũ doceri virtus,ſed etiam exerceri poſsit,vtiliſsima tamen ſemper fuerunt exempla maiorum,in quę, veluti expreſſas imagines intuentes, neſcio quomodo magis imitationis ſtudio rapimur. Itaque feliciſsimi ſunt,qui relictis humanis curis, diſciplinaq. ſanctiore ac ſeueriore ſuſcepta,totos ſe ad alicuius normam conformare inſtituerunt.Nihil eſt in bene,compoſitis ciuitatibus nobilius, nihil maiores in omnes partes fuſas vtilitates habet, quàm hæc communis viuendi ratio certis quaſi ſepta cancellis ad quam paucos quoſdam quos æquus amauit; & tanta mortalium multitudineſibi caros elegit Deus Opt. Inter quos tu Damiane religioſiſsime potes merito adnumerari, qui ante annos quinquaginta in iſtam familiã adſcriptus id vnum ſtuduiſti ſemper, vt clariſsimorum tuorũ exempla ſequereris. Plurimos mihi ſoles recenſere doctrina & pietate inſignes; vt tamen conijcere potui,gratiſsima ſemper tibi viſa eſt B.Philippi

Benicij

Benicij Florentini memoria. Eius igitur vitã non verbis splendore illustribus; sed tenui stylo cõplexus, tibi vltro ita offerre volui, vt ea esset à grauioribus studijs tuis tibi soli quasi quoddam senectutis solatium. Et vero dignus eras maioribus maiorumq. ingeniorum vigilijs. Nam in primis Veronæ natus es, quæ Vrbs semper maximos viros extulit; ac si neminem habuisset, vno Augustini Valerij S.R.E. Card. Amplis. nomine potest esse glorioſa. Tu vero Romam vocatus R. P. Io. Baptistæ tui ord. Caldarino, item ciui Veronen. in Rom. Gymnasio Philosophiæ ac sacrarum literarum professori in Pœnitentiariæ munere exercitato apud Paulum III. Farnesium concionatori eloquentiss. vix xv. ab Vrbe lapide de eius obitu accepto, successisti. Quem locum assecutus nihil aliud optasti semper, quàm vt simplicior illa & vere sapiẽtior maiorum tuorum viuendi disciplina studioſe retineatur. Ac tanto Viro secundus in Gubernatione istius cœnobij tanta pietate vixisti semper, vt te ad confessiones S. R. E. Card. grauissimi perpetuo adhibuerint. Templum prẽterea peranguſtum, vt piorum eleemosynis & cœnobiũ ipsum restitueris & amplificaris, ipsa surgentia mœnia posteritati testabuntur. Verùm ego de te parcius. Noui enim modestiam tuam, & quam ab his præteruolantibus laudibus absis, qui æternas apud superos expectes. Satis igitur mihi sit si hoc qualecunque habeas sepositum apud te argumentum veteris meæ erga te obseruantiæ, tuq. ipsum B Philippum præcatus fueris, vt mihi quoq. patroc.nij sui partem impartiatur. Da operam valetudini tuæ Romæ Kal. Aprilis M. D. XCI.

Viri VII nobiles Floren. primi in monte Senario institutores familiæ Seruorũ.

De diuina vocatione.

AB exordio Religionis Seruorum circiter an. xx. ætatis suæ xxx diuinitus Philippus vocatur. Quod quẽadmodum actum sit locus hic postulat, vt exponamus. Is ex nobili familia Benicia, Iacobo, ac Albauerde parentibus, patria vero Florentia oriundus, Parisiis in Galliæ florentiss. Gymnasiis, ac Patauij artem medicam didicerat. Ingreditur die quinto ab eo, quo Christus ab inferis extitit, Sacellum B. Virginis Seruorum, quod sub eiusdem patrocinio, vt & ipsa familia recens nata incrementa indies maiora accipiebat. Audit inter sacra solemnia illa verba Philippe accede, & adiunge te ad currum istum. His ille subito expalluit, ac somno arctissimo correptus est. Videbatur sibi inter insomnia in desertissima solitudine versari laqueis circundata, atque omni genere fœdissimorum animantium plena. Ac cum vnde egrederetur non haberet, diuinum auxilium imploranti illa vox reddita, & iterata est. Philippe accede, & adiunge te ad currum istum. Trepidans oculos in altum attollit. Videt aureum currum ab oue candenti, & generoso Leone quadruplici rota attrahi, circum aduolitante columba. Huic Beatissima Virgo cœtu Angelorum circumsepta assidebat. In harum rerum suauissima visione diutius futurus erat, nisi excitatus fuisset. Itaque domum reuertitur totus meditabundus, eaque omnia animo voluens quorum intuitu fuerat oblectatus. Hac mente cum se apud suos quieti dedisset, intempesta nocte explicationem vocationis suæ in his verbis recognoscit. Visa enim ei est eadem Dei parẽs sic ipsum adhortans. Eia inquit Philippe ijs te fratrib. adiunge qui Serui mei nuncupantur. Cui vocationi, vt responderit sequitur, vt dicamus.

B. Virginis monitu deserta arte medica eiusdem Ser-uorũ familiæ nomen dat.

2

De habitu susceptо.

VIX illuxerat cum ad eum locum, vbi consopitus, tam multa admiranda viderat, reuertitur. Erat hic vnus ex septem primis institutoribus eius Ordinis Seruorum qui cæteris præerat Bonfilius: cui imprimis putauit visionem suam aperiendã qđ penes eum potestas esset ipsum inter suos recipiendi. Audit Senior libenter ex ordine omnia, vtque Deus solet paruulis mysteria sua reuelare, atque erat in rerũ diuinarum contemplatione versatus, sic omnia plane est interpretatus. Silua, dicebat ille, laqueis, atq. omni genere ferarum circumcinta, hæc cauea est, quam mundum vocamus, in quam veluti in arenam pugnaturi nati descẽdimus. Hic omnia plena insidiarum. Hic communis hostis laqueos subdolus tendit. Currus vero Charitas est, qua agitur, promoueturq. Religiosorum hominum vita: id quod præcipuè aurũ ostendit, cum charitas ceterarum virtutum regina auri nomine significetur. Hic currus rotis quatuor vertitur, in quib. totidem virtutes exprimuntur, quibus, qui Christũ sequuntur præditos esse decet. Aspicis Leone atque oue attractum currum pulcherrimum, in altero fortitudinem, ac constantiam, in altero mansuetudinem, atq; animi summissionem intellige. His passibus excurrendum est in hoc stadio. Sic spectanda est in hoc theatro virtus tua. Nec minus aduolitans columba simplicitatem indicat, & animum à rebus humanis solutum liberius ad æternam felicitatem properantem. His Philippus edoctus, oculis suffusis lacrimis, totum se eius voluntati donauit, ac magni sibi beneficij loco futurum confirmauit, si eorum numero adscriberetur, qui præter humile seruitium nihil præterea de sublimioribus gradibus curant. Suscipit igitur habitum, eodemq. retento nomine Doctor insignis, vltro se Seruorum imperio subiecit.

De

Visione p noctem admonitus, quam Bonfilius fuerat interpretatus habitú suscipit.

3

De vita eremitica quam duxit in Senario Monte.

CVM se se à rebus humanis abstraxisset, statuit vt bonus Medicus ea primum vitare, quæ obessent, vt inse reret meliora. Nihil tam inimicum recens conuersis, quam eorũ vsus, quibus cum vixeris. Sed non inde solum deteriores sumus. Sunt alia plurima in hominũ conuictu, quæ non vacant periculo. Itaq; contendendũ, vt aliquo magno affectu impedita natura non sinat nos labi. Ea in officio paullo durius continẽda erit. Sic.n. fiet, post vt ipsamet facile ad bonum sequatur. Nihil tam facile vitiatur, quàm adolescentũ indoles, quæ sæpe numero, cum vnam aliquam maculam suscepit, tota solet labefactari. Flexibiles eius ætatis animi sunt in omnem partem, & quocunq; inclinant eò celeriter rapiuntur, siue voluptates spectent, siue virtutes. Itaq. cum diuinitus vocatus esset putauit, ita sibi esse agendum, vt ab Vrbe in sacrum Senarium Montem quasi in recessum se se reciperet, vbi non vagus, sed sub præscripto maiorũ suorũ semina sanctæ vocationis foueret, augeretq;. Hanc scholam pietatis sibi elegit. Hic ad omnia humilitatis officia sese demittebat: in qua virtute eò magis se exercebat, quod eã teneret esse virtutum omniũ seminarium. Hic prout in veterum eremitarum instituto tractatum acceperat, nunquam ociosus partitis horis se dabat meditationi in seipsum suscipiens animo, quæ re ipsa Christus passus esset. Nec minus abstinẽtia, vigilijs, ieiunijs, ac lacrimis præteritæ vitæ culpas ablue re studebat. Cuius insignis pœnitentiæ argumentũ fuit, quod ex petra durissima præter opinionem natus fons adhuc manat. De quo ego sic cecini

Antrum mirantur, quo te mandata sequentem
Virginis excepit parua PHILIPPE casa;
Sed me dura silex mouet, & sitientia saxa
Vberibus lacrimis mollia facta tuis.

De ad-

Abditus in Senariũ montem, ac pœnitentiá superioris uitæ agens fontem diuinitus excitat.

De admirabili in rebus diuinis doctrina.

FVERAT in Senario monte, quasi in suauissimo recessu Philippus. Nec dubium est, quin ibidem ita versaretur, vt eius potissimum in quo Christus passus est diei memoriam repeteret. Sextus enim fuit dies quo Deus hominem creauerat rerum humanarum Dominum, atque heredem diuinorum bonorum. Eodem die peccato lapsum miseratus morte sua veræ vitæ restituit. Hæc erat inter cæteras eius altissima meditatio, dum non desistit in omni se virtutum genere exercere. Quamobrem factum est, vt Bonaiunctæ, qui tunc, emortuo Bonfilio præpositus erat, Philippum Senas mittere in mentem venerit, vt in ea Vrbe semina iacta noui Ordinis præsentia sua excoleret, augeretque. Incidit in itinere in Patres duos familiæ Dominicanæ sanè eruditos, quod apud ipsos perpetuum fuit, cum Ordo ille quasi fertilissimum quoddam seminarium in omni ætate extiterit Virorum piorum, & eorundem doctissimum. Igitur vt moris est ad viæ solatium vna colloqui ceperunt. Tum vero quæstionibus, de rebus maximis ab illis propositis, tam docte respondebat Philippus, vt illi, ita de eo sentirent, & prædicarent, vt se quasi in agro latentem thesaurum reperisse profiterētur. Ita facundus comes in via pro veliculo fuit. Ille vero diuinis de rebus optime disserebat, & quæstiones longè omnium difficillimas admirabili facilitate explicabat. Verum de eius sapientia hactenus. Nunc exponere pergam, quæ Senis post illius aduentum sunt cōsecuta.

Fratrib. duob. S. Dominici occurrens admiranda doctrinæ suæ edit argumenta.

5

Sacris initiatur.

NON desiterat in reliquo itinere Philippus pluribus orare eos S.Dominici alumnos, ne quid de se dicerent honorificentius. Gratissimum enim sibi fore confirmabat versari inter eos, qui maioribus inseruientes, literas minime profitentes Laici vocantur. Illi vero vbi Senas florentissimam Etruriæ Vrbem venerunt continere se non potuerunt, quin suis egregiã plane hominis eruditionem prædicarent. Itaque agunt copiose de eius laudibus, vt facilè persuaserint eum sacerdotem creare: opinionem esse maximam eius industriæ. Ille verò ægrè promoueri poterat, qui diceret illud Angelorum munus ab hominibus formidandum, in quo Christus ipse incruenta Deo Patri offerretur hostia, quæ eadem ipsa cruenta in ara crucis pro nobis fuisset oblata. Hæc dum refert; id tamen sibi agendum proposuerat, quod esset à maioribus suis statutum; à quorum præcepto ne latum quidem vnguem discederet. Itaque per omnes Ordinum gradus ad apicem Sacerdotij euehitur. Agebantur hoc tẽpore prima Comitia de creatione Prioris Generalis, circa annum CIↃ CC LIX. ex Alexandri IIII. anno quinto sui Pontificatus literis datis Kal. Aprilis. In hoc omnium ordinum concursu primam diuinæ Maiestati hostiam immolat nouus sacerdos tanta omnium lætitia, vt inter eiusmodi cerimonias se non sensisse maiorem fatentur. In ipsa eleuatione ab ijs, qui aderant, auditum fertur non humana voce decantata illa Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus. Hinc primum sui in spem maximam venerunt, vt ex eo Respub. Christiana fructus acciperet vberrimos.

Soda-

In monte Senario celebrat primum sacrum inter comitia.

Fratri-

Sodalitium ad decantandas laudes Beatæ Virginis promouet.

QVANTVS sit Sodalitatum in vniuersa Italia fructus, ostendit plane tot ædium sacra structura, in quibus maximo animarum fructu diuinæ laudes decantantur. Earum institutum antiquissimum fuit. Circa annum igitur CIↃ CC LXIII. vigebat Confratria, quorundam piorum Virorum, qui diebus festis diuinas laudes coram Deiparæ Virginis imagine psallerent, quæ seſe clementissimam exhibuerat populo Florentino. Philippi consilio locus assignatur intra septa monasterij, in quem ad eam celebrandam conuenirent, cuius sub nomine etiam ipse militaret. Huic Confratriæ postquam Prior Generalis creatus est comite Gherardo Eremita viro pijssimo, alumnorum suorũ priuilegia est elargitus, quorum extare adhuc formulam referunt. Fuerat autem quarto loco ea dignitate auctus, quã ob senium, & corporis ægritudinem sponte Manettus viuens dimisisset. Vt neq; hoc, quod Magistratus virum ostendat, silentio prætereatur: renuebat ille quantum poterat gubernationem, nec se idoneum asserebat, qui clauum teneret, aut regeret. Verum cum in suffragium itum esset, omnesque pedibus in eandem sententiam veniissent, dare manus coactus est, tot in se confluentibus votis. Acta sunt Comitia Florentiæ CIↃ CC LXVII. Hac dignitate suscepta nihil prætermisit, quod ad opt. ac vigilantiß. Præsulem pertinere videretur. Nec destitit sæpe, non modo exemplo, sed etiam cõcionibus suos ad pietatem, & mutuam animorum consensionem conseruandam adhortari. Non multo post ad Clementem IV. Pont. Max. Vrbeveteri commorantem venit, cuius ad pedes prouolutus nascentem familiam suam commendat.

Societatē Confratrū ad laudes B. Virg. decantandas instituta fouet ac priuil. familiæ suæ ornat et auget.

7

Fratribus annona laborantibus præsto est.

CIRCA annum CIↃ CC LXVII. à Florentinis Aretij ager, vt fieri solet bellis ciuilibus vastatus fuerat. Itaque annonæ caritate cõsecuta Ordinis Seruorum Patres, vnde victum quærerent non habebant. Præuidens ille prouidus pater quasi è specula, in quo periculo sui essent eò aduolat: ac postquam ardentius exorauit altissimum, pleni canistri plurimo, ac candido pane ante ipsas Cœnobij fores visi sunt. Vnde hi allati essent ignorabatur. Maxima erat omnium admiratio. At Philippus Deo Opt. bonorum omnium largitori gratijs actis in manus panes recipiens, eos omnis generis multitudini distribuebat. Quo insigni beneficio factum est, vt non modo alumnos suos, sed alios plurimos fame enectos satiarit. Et vero locus hic postulat, vt aliud in eodem genere referamus, quod longe post fuit CIↃ CC LXXII. cũ annos duos extra Italiã posuisset. Philippus inuisens reliquas sui Ord. prouincias, Vguccione Germaniæ inferiori præposito, quæ pars à Sueuis incolitur, in Galliã contẽdit, cui Sostenio præfecto, versus Italiam iter capit, Gualterio, Io. Franco, Victore Florentino, alijsq; pijs comitibus. In quo itinere hoc accidit incommodi, vt in deserta loca siluis, ac nemoribus obsita, qualia sunt plurima in Gallia incideret. Hic non modo necessaria ad victum planè desiderabantur; sed nec quidem aqua sitim extinguere poterant, tanta erat ariditas, tanta asperitas loci. Omni plane humano destitutus auxilio Philippus sese Deo commẽdans in genua proiectus precatus dicitur. Vix finẽ fecerat, cum longe prospiciuntur aduentantes pastores, qui in Canistris necessaria ad victum præferentes, ecce inquiunt vobis paratum prandium. Hi cum nusquam amplius apparuissent, & suauitatem cibi, & sui desiderium reliquerunt.

In summa annonæ caritate et alumnis suis et aliis pauperib. copiose subuenit.

8

Lepra infectum mundat.

PISTORII nobili Etruriæ Ciuitate Comitia peracta fuerant CIↃ CC LXVIII. vbi pro more concione habita, ac legibus quibusdam ad rectam Seruorum gubernationem statutis; ad summum Pont. cogitat, in cuius manibus Magistratum deponat à quo Patres sese abdicare non permiserant. Erat tunc Viterbij Clemens IV. Senis eo contendit. Huic in Vico Gallicano agri Senensis vnus occurrit lepra infectus, qui stipem peteret. Ille, qui nulla re minus, quam auro abundaret à comitibus paululum dimotus interiore sibi detracta veste; hoc inquit muneris accipe: nihil est, quod à me magis expectes. Vbi miser sibi vestem inuoluit, peroptatam; inexpectatam tamen sanitatem consecutus, tanti Viri sanctitatem prædicabat. Ille vero se se subtrahens huic gloriæ, iter eodem quo ceperat consilio persequitur. Verum à proposito abdicandi magistratum ipse diuino quodam visu simili vna cum socio commonefactus destitit. Solebant enim vtriusque mentes sæpe abstrahi à sensibus, atque altissima contemplatione teneri. Hoc animo statuit potius susceptum onus sustinere, quam eodem detrectato, sibimet inseruire. Quo duce late fuso eo Ordine, de cuius progressu mire sollicitus erat, multa & grauia ad incremẽtum Religionis instituit. In quo eò magis eius vigebat auctoritas, quod non ambitione, aut humano consilio, sed diuinitus in ea cura retineretur.

In Vica Gallicano agri Senensis dum Viterbum proficiscitur leprosum hominem sanat.

Balnea suo nomine nuncupata diuinitus excitat.

DEFVNCTO Clemente IV. Pont. Max. cùm de successore eligendo negotium protraheretur, non defuisse referunt ex S. R. E. Cardinalibus Innocentij IV. nepotem, qui postea Hadrianus V. dictus est, tunc eius ord. protectorem, qui tanti viri fama permotus, de eo in summum Pastorem renunciando cogitaret. Nam cùm ille consilia præsensisset, Lotharingo administrationis cura relicta subterfugit, atque in montes agri Senensis sese ita abdidit ac retrusit, vt à suis ipsis ubi esset ignoraretur. Hic orationi vacans, & inter longissima ieiunia se se etiam loris cædens diuinam clementiam deprecabatur. Nihil enim vir pius, eam ob rem beatus, Deum timens, antiquius habebat, quàm in sui ipsius cognitione intra seipsum atque in solitudine versari. Eodem tempore Manettus vnus ex eo septenario numero ad vitam feliciorem conuolauit sub CIↃ CCLXVIII. Anno sequenti Florentiæ indicuntur comitia capituli, quibus & ipse interfuit. Paullo ante hoc tempus sub festum diem natalis S. Ioannis Baptistæ, dum calente cælo aret maxime solum, ter lapide in vertice montis percusso, eas aquas excitauit, quæ vsque ad hodiernum diem salutares, balnea S. Philippi nuncupantur. De quibus ego hæc decantabam.

Marmore concusso manant vaga flumina riuis,
Plena salutares vrna refundit aquas.
Quæ bona posteritas referat sunt plurima; Maius
Quisque quod hoc ipso tempore sentit opem.

Balnea quæ nunc S. Philippi nuncupatur mira-culo elicit.

Concionatur ad Pop. Pistorienſem.

CVM Comitia capituli Pistorij haberentur, anno à partu Virginis CIↃ CCLXXVI. Philippus qui Prior Generalis erat, putauit ſibi inter cæteros ad Populum verba de reb. diuinis facienda eſſe: in quo maximè eius non modò eloquentia, ſed vis in dicendo enituit. ardebant tunc in ea Vrbe inteſtina bella eiuſmodi, vt ex ijs maximæ cædes ſequerentur. Nam conſtat quàm atroces fuerint illæ factiones Gibellinorum ac Guelforum: ab aduentu Aenobarbi Cæſaris ſupra tot acceptas bellorum clades inducta erant funeſta hæc nomina, quib. quaſi horribili, ac diuturno quodam terræ motu Italia omnis cõcuſſa eſt. Diductæ ſiquidem in partes inſana & crudeli diſſenſione ciuitates, de poteſtate, dignitate ac vita ipſa dimicabant. Pugnatur in Vrbibus florentiſsimis, ita ut vix affinitatis eſſet aut ſanguinis agnitio. Tanta vtrinque per mutuas cædis rabies erat, vt plurimæ eædemq. præcelſæ procerum familiæ alternante vices belli alea, miſerabili ſæuitia delerentur. Hac tempeſtate quaſi pacis nũcius exortus Philippus ea oratione, quæ ſolet ſæpe hominũ etiam ſæuiſsimorum corda inflectere, Gibellinæ factionis princeps, cui nomen Bonauenturæ indidit, non modò à furente ea concertatione diuertit; ſed planè conuertit, atque in familiã ſuam attraxit. Fuit verò in concionibus acerrimus, cùm eodem declamante, Andreas etiam de Burgo S. ſepulchri eidem ſeſe adiunxerit. Cuius in ſedandis hominum animis prudẽtia perſpecta, Latinus S. R. E. Cardinalis in Etruriam Legatus à Nicolao Pont. Max. miſſus, eum ſibi adiutorem elegit. Quo auctore multis factionum capitibus ad ſanitatem traductis, pax magna ex parte reſtituta eſt.

Pistorij concionat. ubi factione Guelfa ac Gibellina sedatis alterius ducē familiæ suæ adiungit.

Vguccionij ac Soſtenij animas cælum intrantes videt.

KAL. Maij anno ſalutis CIↃ CCXXIIC Vguccionius ac Soſtenius, duo ex illis ſeptem, qui prima fundamenta iecerãt Ord. Seruorũ, Viterbium ad Comitia ſui capituli de reb. diuinis una colloquentes proficiſcebãtur; ut non mirũ eſſet, ſi propterea ardens erat eorum cor. Illi initia cõuerſionis, progreſſumq. alumnorũ repetebãt, inter quos grata Philippi memoria tenebantur, qui clauum tenens prædicatione, & exẽplo mirum in modũ omnes iuuaret; vt verè Deus vineã eam plantaſſe, & irrigaſſe uideretur. Nec minus inter lacrymas miſcebãt ſermones, ſuſpirantes ad eam patriã, ad quam ſocij veluti ad palmam præceſsiſſent. Vna erat eorũ cupiditas, vna mẽs diſſolui & eſſe cũ illis in ea bonis omnibus affluente gloria. Inter hos gemitus audita dicitur vox. Viri Dei abſiſtite à lacrymis, breui futura eſt quies. Admirati ſubſiſtũt: tùm verò proſequuntur iter. Non multo poſt, cũ ad ſacrũ ord. locum peruenisſent, leui primũ correpti febre, tũ ingraueſcente morbo eodẽ die, atque eadem hora ad æternæ ſalutis portum quaſi binæ columbulæ cõuolarunt. Horum corpora ſacrum montem delata ſunt. Id totum quaſi in quodam ſpeculo abſenti præmonſtratur Philippo, non ſecus ac de Ambroſio legimus, qui inter ſacra ſolemnia S. Martini exequijs interfuiſſe prædicatur. Videt ille lilia duo e terris præciſa B. Virgini offerri, quæ in cæleſti gloria in conſpectu Domini florerent: quib. reliquos duos primitias ord. in concione, quam ad populum habuit, eſſe interpretatus, de quo alias hæc cecinimus.

Aſpicio bene culta duo de ceſpite molli
Lilia conuelli candidiora niue:
In cælum ſeſe attollunt, terraſq. relinquunt
Conſita quò vigeant nobiliore loco.

Profi-

Vguccionij ac Sostenij animas in cœlum ferri sub figura liliorũ uidet.

12

Proficiscitur Tudertum.

FLORENTIAE CIↃ CCXXVC. habetur capitulũ, quo tẽpore præuidens breues uitæ suæ dies, cũ fratres ad mutuã dilectionẽ fuissẽt cohortatus, Lotharingium in collegã officij sui omnib. cõsentientib. cõprobauit. His expeditis Idib. Iulij, una cum Octauiano ac Guidone Senas proficiscitur; ubi ordini adiuncto Francisco, qui uitæ asperitate multa reliquit exẽpla uirtutũ, Perusiũ cogitat ad Honorij IV. Pont. Max. Sabelli, ex patritia Romanorũ familia, pedes, familiã suã cõmendauit. Perusio Tudertum in vmbria venit, in qua Vrbe corpore huius mortalitatis quasi onere deposito, ad immortalitatẽ aspiraret. Non longe aberat, cũ certiores facti Tudertini eius aduentus, præmiserũt pueros ac puellas vna cũ ramis oliuarũ, ut piũ uirũ exciperent. Ille triumphũ ægre ferens, & cælestẽ gloriã transferẽs, diuertit. Eo diuerticulo id etiã lucrifecit, quòd cũ mulieres duæ occurrissent, quæ ambæ in illecebris uoluptatibus uersabãtur, rogauit ut triduo ab ea uita abstinerẽt: quod cũ se facturas recepissent, ita post eius sceleris deformis species deterruit, vt plane ea vitæ licẽtiæ deserta, caste vitã instituere cœperint. Id sanctissimũ cõsiliũ ut melius exequerẽtur, inter eas numerari uoluerũt, quæ cõclusæ septis uitã agerent à cõmuni hominũ consuetudine segregatã. Vbi uerò ad cœnobiũ uenisse Philippũ perlatũ est, sub noctẽ enim ingressus fuerat, effusa populi multitudo ad fores uisendi cupida accurrit. Cui sane honesto desiderio vt satisfaceret, è superiori loco uerba facere statuit in eo ipso tẽplo S. Marci ord. sui. In cõcionando id erat eius institutũ, nõ de se clamores, sed lacrimas elicere. Erat uerò ita acer in dicẽdo, ut ardentib. oculis diuini amoris scintillas quasi spicula in auditores cõtorqueret. Ac minime in numeris aut fucata eloquẽtia sollicitus eò orationis cursu se rapi patiebatur, quo spiritus uocasset. In ea certe uitæ hac extrema concione de beata uita sic peroraſſe fertur, ut auditoribus ardentissimum desideriũ iniecerit eius, quæ à bonis omnibus speratur æternæ felicitatis.

De

Iudertinorũ plausum diuerticulo uitans meretrices duas ad castitatẽ traducit.

13

De pœna blaſphemantiũ nomen diuinum cœlitus inflicta.

ERAT annus à Virginis partu CIↃ CCLXIX. cùm rebus familiæ Seruorũ in Italia cõpoſitis, B. Philippus, vt eiuſdẽ diuinum nomen toto orbe terrarũ celeberrimum vltra Alpes ab alumnis foris delatũ latius pro ſibi dato munere propagaret, in Galliã contendit. Itaq. in magiſtratu relicto Lotharingo, cuius prudẽtiæ, ac pietati, vt uni ex illis ſeptẽ primis inſtitutoribus plurimũ tribuebat, duos ex eodẽ numero ſui itineris comites, ac rerũ grauiſſimarũ in tã remota viſitatione conſultores ſibi adſciuit Vguccionẽ, ac Soſteniũ, egreditur è ſacro ſenario mõte Pater lacrimantib. ſuis, ac in Inſubriã iter inflectit. Accidit in itinere, & quidẽ inter Bononiã, Mutinamq. ut quidã, ad vitandũ æſtũ ſextili menſe ſub frondoſiſs. arbore ad vmbrã, (ut fieri eo tempore ſolet,) ſtrati iacerent. Hi ut erant ſoluti curis, viros religioſos conſpicati irridere cœperunt. Addũt iocis cõtumelias, nec minus ad liberiora prolapſi, in Deum ipſum imprecantur. Hic uir pius deplorans eorum licentiam, iniurias ſibi illatas facile tulit. Verũ vt qui Deũ timebat, ægrè paſſus eſt diuino nomini illudi. Non deſtitit paternæ bonitati, pluribuſq. orare, vt Deũ in primis venerarentur, eundemq. ſibi timerent vltorem. Illi uero nihilominus maledictis uirũ piũ inſecuti, nullũ admonitionibus relinquebant locũ. Vix paullulum inde abſceſſerat B. Philippus, cũ ſubito cælum, quod erat vndique ſerenum, nubib. obduci, exaudiri tonitrua, ruere cũ grandine admiſta fulmina, ac totus ille locus Dei manu obſideri, cuius brachiũ eſt excelſum. Mirandũ ſane, Diſiecta arbos, effracti rami, homineſq. partim cælo tacti, partim diuinã vim agnoſcentes fuſi fugatique, ſuperſtites relicti, vt inſigne diuinæ uindictæ teſtimoniũ prædicarent. Id adeo illuſtre fuit, vt ab illis vſque temporibus in ipſius Annunciatæ templo in periſtylio depictum, & artificis ingenium poſteri, & miraculum fortiſſimũ admirentur.

IV.

Blasphemantes diuinum nomen cum admonitiones B. Philippi negligerent fulminibus è cælo missis puniuntur.

14

B. Philippi obitus.

IV Idus Sextilis circa horam nonam cùm acrius ad populũ peroraſſet leuiter ægrotare cœpit. Nec verò ab oratione deſiſtebat. Inſtabat dies ille fauſtus ac felix, quo Deipara ad cælum ſublata eſt. Pridie huius diei intenſiſsime orans eccleſiæ ſanctæ ſacramenta poſtulauit. Quo tempore ante Euchariſtiam hunc pene in modum verba fecit. Tu es Domine in quem credidi, quem prædicaui, quem amaui, quem quærit anima mea. Abs te ego ueniam peto uitæ ſuperioris. Tu me ſuſcipe, ut ego ſuſcipiam te Redemptor meus. Tùm ſacro oleo perunctus conquieuit ea nocte: tùm maxima alacritate dedit ſe orationi. At ecce mane eius diei, quo Virgo ſupra cæleſtes choros euecta eſt, cuius ipſe ſub patrocinio ac nomine vixiſſet, ad cæleſte conſortium euocatur. Fuit dies xviij. Kal. Septembris Honorio IV. Pont. & Adulpho Imper. vitæ ſuæ ann. lxiij. Repletur domus inſolito odore, per Vrbem diuulgata fama; ad eius corpus viſendum fit Tudertinorum concurſus: effertur. Triduo viſitur in medio templi. Mira omnis generis, ætatis, & ordinis pietas. Tangere, veſtis particulas apud ſe habere certatim omnes cõtenderunt. Conditur corpus Tuderti ſub aram maiorem eo ipſo in templo ord. ſui, vbi vſque ad hunc diem miraculis ea ciuitas illuſtratur, quæ eadem inter annalia certa fide ad omnem poſteritatis memoriam conſeruat. De quo ita aliquando decantabam.

Conditur hic lux Tuſcorũ ſplendorq. Philippus
Seruorum, cuius ſpiritus aſtrà colit;
Qui tamen è tumulo partes effulget in omnes
Et qua ſol oritur lumine, quave cadit.

De

Fuderti XVII Kal. 7bris ad feliciorem uitam uocatur.

De fabricatione templi S.Mariæ in Via nuncupati.

ANNO Domini CIↃ CCXLIII. Innocentio IV. Pont. Max. ex ſtabulo, quod ſuerat Petri Capocij Patricij Rom. S. R. E. Card.ac tit.S.Georgij in Velabro templum D.Mariæ in Via, Romæ conſtruitur. Narrant nocte quadam, putei eodem in loco exiſtentis aquam ad os vſque perlatam ſeſe toto ſtabulo effudiſſe. Vident ad putei marginem ſilicem præter naturam adnatantem, cui B.Virginis imago impreſſa eſſet. Eò accurrit rei nouitate Petrus ipſe Cardinalis, atque aquas ipſas circumfuſas ingreſſus, qua decebat pietate ſilicẽ, quæ nullius ui dimoueri potuerat, in ædes ſuas honorificè defert. Id ipſum vbi reſciuit Pont. max. erecta ara ac Deiparæ dicata, ante puteum occidentem verſus imaginem repoſuit, quæ vſque ad noſtram ætatem per omnia tempora fuit miraculis clariſsima. Putei vero ſacello concluſi religio inde nata eſt. Et quia in imum putei ille idem Cardinalis ex Paleſtina eius lapidis partem delati coniecit, ſupra quem ſediſſe legimus Chriſtum Dominum, dum Samaritanam alloqueretur. Inde cæpit Rom.populi concurſus, ac votorum, donorúmq. ad aras celebritas.

Ante aras qui ſtat puteus, de gurgite cuius
Turba ſalutarem febribus haurit aquam.
Ne credas opus eſſe recẽs. Hunc ſancta parentũ
Relligio æthereæ Virginis æde ſacrat.
Ebibe quiſquis ades, gratam exorare ſalutem
Hic iuuat, & morbum lympha, leuatq. ſitim.

Putei S. Mariæ in Via celebris memoria Innocentio IIII Pont. Max.

16

MVG